

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Avctorate Et Svb Avspiciis ... Domini Gvilielmi IX. ...  
Academiae Rectoris ... Ad Novi Magistratvs Academici  
Inavgvrationem Iphis Calendis Ianvarii A. MDCCLXXXVIII  
Celebrandam ... Invitat ...**

**Münscher, Wilhelm**

**Marbvrgi, [1799?]**

**VD18 1332246X**

§. XI.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-7906**

tur, adiutricem habere την εν εματω παλην προς παντα και ποιηλην  
φουσει επιθυμιαν f) affirmat.

§. XL

Deinde in notione, quae de Spiritu sancto proponitur, repugnare Dialogum Apologiis ven. Langius existimat. In illo enim Spiritum sanctum ceu diversum a λογω describi, in Apologiis vero Spiritus nomine ipsum λογον designari. Verum, etsi recte moneatur, in Apologiis Spiritus et λογου nomina inter se interdum permutari g), non effici inde, me quidem iudice, potest, Spiritum sanctum ex Justini mente eandem ac λογον esse personam. Obstant enim loca clarissima, quibus Spiritus a Logo distinguitur, illicque tertius huic vero secundus inter obiecta venerationis Christianorum locus assignatur h). Mihi quidem regulis iustae interpretationis convenientius videtur, ex his locis, ubi Justinus ex instituto fidem Christianorum de Logo et Spiritu tradat, illa explicari, in quibus obiter tantum Spiritus et λογου mentio fiat, quam ad illa haec accommodari. Nec deest ratio, qua illa cum his ita conciliari possint, ut salva tamen maneat Spiritus sancti a λογω diversitas. Quam rem cum accuratissime atque doctissime expositam videam a venerando Keilio i), ut de ea plura dicam, non est opus. Profiteor tantum,

f) Apol. mai. p. 58.

g) Inspiratio enim prophetarum, quae alias Spiritui adscribitur, pluribus locis et λογω tribuitur. p. 76. et λογος appellatur πνευμα. p. 76.

h) Apol. mai. p. 60 et p. 56.

i) In commentatione: Ob die ältesten christlichen Lehrer einen Unterschied zwischen



tum, huius Viri eruditae observationibus, omnem, qui de conciliatione effatorum Iustini menti inerat, scrupulum mihi exemptum esse.

## §. XII.

Tandem an doctrina de mortis Iesu consilio et effectibus in Dialogo prolata Iustini effatis contraria sit, disquirendum est. In Dialogo notionem satisfactionis Christi vicariae significari observat ven. Langius, cuius in Apologiis ne vestigium quidem deprehendatur. Quae si omnia concederem, nulla tamen inde repugnantia elici posset. Cum enim Iustinus in Apologiis satisfactionem vicariam silentio praetereat, nunquam vero neget, haud veri dissimile esset, eum in libro, in quo de sacrificiis aliisque institutis Judaicis agendum esset, mentem suam fusius explicandi occasionem habuisse, quam in scripto Imperatoribus dedicato. Disquisitio enim accuratior de beneficiis a morte Christi pendentibus non adeo gravis et necessaria videbatur antiquis Patribus, ut quovis loco eam instituendam putarent *h*). At etiam si his insistere nolim, nulla, ni fallor,

satis-

zwischen dem Sohne und heiligen Geiste gekannt, und welche Vorstellungen sie sich davon gemacht haben? Eine patristische Untersuchung. Inseta est haec commentatio parti quartae des Magazins fuer christliche Dogmatik und Moral herausgegeben von D. J. Fr. Flatt; p. 34 seqq. Et ea, quae Vir venerandus passim contra meum libellum (Handbuch der Dogmengeschichte) monuit, ita sunt solide et accurate dicta, ut in plerisque me consentientem habeat.

*h*) Quod probatur insigni Irenaei loco, quo disquisitio, quare Logos humanam carnem